Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 63
Quelle:
Copyright:

abeſt; a *Praefatiuncula* enim, quam dixi, ita proſequitur: *Temporibus apoſtolorum creſcebat cottidie chriſtianorum fides, creſcebat in uerbo domini, creſcebat etiam in caritate ab adoleſcentia eorum usque ad uenerandam etatem, non aliud exercentes niſi orationibus cum ieiuniis uacantes ſemper que dei erant meditabantur. Sed dominus, qui eos in una caritate coniunctos ſemperque gubernando cuſtodiuit, ipſe etiam et a paſſionis gloria non ſeparauit. Predicante igitur beato petro apoſtolo apud urbem Romam uerbum domini noſtri ihesu chriſti per uniuerſum orbem terrarum, poſtquam altercatus eſt una cum beato paulo apoſtolo cum ſymone mago ante neronem imperatorem in urbe Roma, propter nomen domini noſtri ihesu chriſti imperante illis diebus nerone prefato principe in Roma beatiſſimi apoſtoli petrus et paulus paſſionem ſuſcipientes cum martirii corona ad dominum migrauerunt. Audientes itaque apoſtoli de beatiſſimorum petri et pauli obitu beatum Marcum euangeliſtam romam tranſmiſerunt, ut eos, quos petrus per eloquium dei ad chriſti perduxerat fidem, ipſe eos ſuo confortaret uerbo. Qui cum ueniſſet in urbem Romam et predicare cepiſſet, uniuerſus populus, qui propter paſſionem beatiſſimi petri apoſtoli triſtis erat, uiſo beato Marco nimio gaudio ſunt repleti. Cum autem ibidem moratus eſſet plurimis annis, egrediens ab urbe cepit per ciuitates et per omnem locum uerbum domini predicare, ubi etiam plurimum populum deo acquiſiuit. Veniens autem in ciuitatem aquilegiam, que eſt ex ciuitatibus italię prima, multos ad fidem chriſti adduxit baptizans eos in nomine patris et filii et ſpiritus ſancti. Cumque ibidem plurimo permaneret tempore, uoluit iterum Romam reuerti, uniuerſus uero populus non permittebat eum exinde ambulare quoquam. Qui confortans animos eorum ordinauit eis epiſcopum beatiſſimum Hermachoram.* Abhinc incidit narratio in *Bollandianorum num.* 5. et cum iis usque ad finem decurrit, licet lectiones variae non deſint. Quamvis igitur in hactenus relatis quaedam veritati hiſtoricae repugnent, antiquiora tamen cenſeo praeſutis illis de *Ataulfo* et *Ulfio*, magisque genuina, inde etiam motus, quod Codex praeſens repertus eſt in *Carnioliae* Coenobio *Sitticenſi* Ord. Ciſt. a. 1135. fundato et olim ad Dioeceſin *Aquilejenſem* pertinente. Ceterum praeter citatos de *Actis* noſtris adi, ſi lubet, *J. Fr. Bern. M. de Rubeis Monumenta Eccleſiae Aquilejenſis*, *Argent.* 1740. C. III. *col.* 26. f.

Fol. 228. p. 2. ſequitur ἀνεπιγραφος Paſſio *Margaretae* V. et Mart. quam *Antiochiae Piſidiae* ſubiit, ut habent *Baronius* in *Martyrol.* et *Bollandiani* T. V. *Jul.* ad diem 20. p. 24. ubi iſthaec *Acta* tanquam fabuloſa et abſurda merito exploduntur. Ediderat jam ea *Mombritius ſupracit.* T. II. *fol.* 103. p. 2. auctore quodam *Tectino*, quem nos certe rectius *Theotimum* legimus, non ſane pium et doctum *Tomitanum Scythi-*

ae